Al chiarissimo Cavalier D. Francesco

in segno d'altissima

l'Autore

IN

OBSCURUM HORATII LOCUM

CAROLUS GUACCI GASPARI SELVAGGIO S.

Nec traditur certum, nec interpretatio est facilis.
Liv. II. 8.

Quinti Horatii Flacci lyricorum romanorum facile principis nobilissima carmina superioribus diebus diurnâ nobis nocturnâque manu versantibus, illud *reparare*, docte Gaspar, occurrit, cujus de vi splendida cruditorum ingenia et bene longam et satis acutam disputationem instituerunt. Cum vero nulla adhuc extet illius verbi explicatio, quae doctis emunctaeque naris hominibus omnino probetur, et unicuique liceat, ad veritatem propius assequendam, in medium, quid de hac re sentiat, verecunde proferre, nostram quoque opinionem exaudi, acri tuo subtilique judicio expendendam. Doctorum enim desideriis si minus interpretatione nostrâ satisfacere videbimur, nonnullum certe sedulitatis argumentum praebuisse contenti, ad meliora nos intento animo cursuque enitemur.

Sic ergo se locus habet de quo disputatur.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales;

Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et Imperio parabat

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria: sed minuit furorem

Vix una sospes navis ab ignibus,
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in vanos timores
Caesar ab Italiâ volantem

Remis adsurgens, accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator, in campos nivalis
Haemoniae, daret ut catenis

Fatale monstrum, quae generosius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe citâ *reparavit* oras.

Ausa et jacentem visere regiam
Vultu sereno etc. (1).

Quâ quidem in re cum omnis disceptatio in *reparandi* verbi significatione versaretur, in eam nonnulli sententiam disputaverunt, ut nonnisi *corroborare ac munire portus, arces, moenia quae jam lapsa erant*, hoc est, *celeriter classe haec ipsa loca obeun-*

(1) *Horat. I. Od. XXXVII. 25 (Parisiis 1829, edente Lemaire)*

do reficere et firmare valeret (1). Quidam vero haec plane aspernantes ita accipiendum esse statuerunt, ut *mutare alias nempe terras magisque abditas*, *pro Aegypto*, *quae infirma erat et jam tota patebat hosti* significaret; horatianumque illud laudantes:

Vina Syrâ reparata merce (2)

suae sententiae optime convenire affirmarunt (3). Alii denique, qui mihi ad veritatem propius videntur accedere, *repetendi*, *eundi*, *studendique assequi* sensum habere maluerunt (4).

Sed has atque hujuscemodi alias horatiani verbi enodationes reliqui fere sapientes respuendas satius putaverunt. Et re quidem verâ quis est quin plane perspiciat, *Cleopatrâ latentes citâ classe oras muniente*, vim omnem sententiae aestumque mentis extingui? Alteri vero suismet ipsi conjecturis illaqueati, *reparare* pro *emere*, seu *sibi comparare* explicantes, quod mercaturae est proprium, id ad eas quidem res transferre non dubitârunt, quae ad mercaturam non erant revocandae. Cum enim apud mercatores *reparare*, ut Furlanetti verbis utar (5), sit *rursus emere*, *ac merce divenditâ aliam comparare*, permutationemque ex propriâ vocis significatione designet, quid est, quaeso, causae, cur inficias ire nolimus, non esse eam vocem hoc sensu ab Horatio

(1) *V. Furlanetti in v. Reparare* § 7. (*Lexicon totius latinitatis*; *Patavii*, *Typis Seminarii 1821 - 31 et Append. 1841*) *Sic Gargallus. Haec tamen significatio III. Od. III. 60 optime quadrat.*

(2) *I. Od. XXXI*, *12*; *ut in II. Satyr. V. 2.*

(3) *V. Furlan. l. c. Hanc Despretius insolentem significationem τῷ reparare attribuit. Hor. in usum Delphini*, *Paris. 1691 in 4.°*

(4) *V. Interpp. l. c.* (*edente Lemaire*) — *Obscurus hic Horatii locus*, *mirum quantum ad Harduini omnia latinorum scriptorum opera allatrare soliti rabiem effugiendam elaboravit.* (*V. Excurs. in Hor.* — *Hard. Opp. omnia Amst. 1733 in fol.*

(5) *V. in v. Reparare* § 2. *Sic le Père Sanadon l. c.* (*Les oeuvres d'Horace par M. Dacier et le P. Sanadon. Amsterdam*, *chez F. Werstein et G. Smith. 1735*).

usurpatam? Qui autem *reparavit* pro *assequi studuit* positum esse dixerunt, ii sententiae vim, cum melius facere non possent, non *reparandi* verbum explicantes, *ex omni latinitate*, ut cum doctissimo Horatii interprete loquar, *neque unicum hujus significationis exemplum potuerunt proferre* (1).

Haec igitur in contrarias sententias hinc inde jactata recentiores interpretum susque deque ferontes, sollicitandam lectionem instituerunt. Ac primum Bentlejus, vir eruditione atque ingenii subtilitate clarissimus, acuto magis quam vere, ut ad unum omnes sentiunt, *penetrare* substituebat (2). Cum vero ne semel quidem in cunctis Horatii operibus haec vox inveniatur (id quod certe non levis est argumenti) nec vatis mentem ad amussim referat, praestantissimi ingenii conjectura rejicienda nobis videtur. In hac autem docti viri emendatione, quod tu quoque sentis, cum nihil quod ad rem potius esset proferre posset in medium, acquiescendum erat Wakefieldio. Sed hominem *repedare* conjicientem certe fugit, hanc vocem *retro suos ex ali quo loco pedes ferre, ut alio dirigantur*, valere (3). Sic eo verbo Lucilium, si Nonio fides, sic Ammianum, sic Juvencium, illum nimis antiquâ oratione obsoletum, hos vero sequioris aevi scriptores, usos esse invenimus. Si quis autem contra Furlanetti, elegantissimi judicii multaeque eruditionis viri, observationem, *gradum*, in hoc Pacuvii apud Festum exemplo (4)

Paulo repeda, gnate, a vestibulo *gradum*,

non esse communem accusandi casum spatii, sed a verbo ipso pendere defendat, huic *repedare gradum* aeque dici posse fatendum est, ac *latentes oras repedare*, hoc est, *se ad latentes oras confugere*. Sit autem illius secundum grammaticorum regulas lectio,

(1) *Richardi Bentleji emendationes in Hor. Amstelaedami 1728.*

(2) *Id. l. c. — Dacerius (edit. cit.) ire interpretatur et* reparare *contra Bentlejum e suâ sede dimovendum non putat.*

(3) *V. in Hor. a Lemaire edito, l. c.*

(4) *Furlan. V. Repedare* § *1.*

qui possumus aequo animo Horatium uno et incerto Pacuvii loco emendare? Lamberti denique Bos *ire paravit* emendationem, ne poësi bellum videamur indicere, silentio praetereundam putamus (1).

Nobis autem, cum Codices omnes Horatianos pervolutandi multis de causis facultate careamus, rem saepissime reputantibus, illud sibi Horatium in allatis carminibus dicere proposuisse videri solet: *Cleopatram generosius moriendi genus quaerentem, nec sibi inferre mortem mulierum more timuisse* (*tentantem enim impediverunt*) *nec ante currum Caesaris per triumphum ductam romanis omnibus ludibrio haberi volentem*, petere festinavisse (reparasse) *loca, in quibus se latere posse speraret*. Cum igitur numquam τὸ *reparare* huic significationi respondeat, negotiumque omnibus interpretibus facessat, altera, praesertim ex ipso Horatio eligenda vox est, quae hoc aptius fungi possit officio. Conjectura enim, tum omnes habet in se numeros veritatis, cum ejusdem auctoris, cujus emendationi studemus, auctoritate probatur.

Horatius igitur primo epistolarum libro dixit (2):
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto *properent* arcere veterno.

Et alibi (3)

Dic et argutae *properet* Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem etc.

Sic Virg. (4)

Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis *properas* aquilonibus ire per altum.

(1) *Animadv. p. 36.*
(2) *I. Ep. VIII. 9.*
(3) *III. Od. XIV. 21.*
(4) *IV. Æneid. 309.*

Et Cic. (1).

Si in patriam, si ad deos penates redire *properavi*;

subsequente semper infinitivo.

Sed infinitivi etiam non expressi frequentissima exempla apud latinae linguae scriptores extant. Sic in eo libro qui est de spectaculis, Martialis, sive ipse, sive alius ejusdem libelli auctor sit, trito illo de Leandro epigrammate scriptum reliquit :

Quum peteret dulces audax Leander amores,
Et fessus tumidis jam premeretur aquis,
Sic miser instantes affatus dicitur undas:
Parcite dum *propero*, mergite dum redeo (2).

hoc est *ire festino* absoluto, ut Furlanetto placet, seu potius *Hero petere*, ut Ovidii verbis utar (3), supplendum videatur.

Cic. Quae causa cur Romam *properaret*? (4) supple *ire*.

Et alibi (5)

Ventis, remis, omni festinatione in patriam *properavi* (*redire*)

Virg. (6)

Ac veluti lentis Cyclopum fulmina massis
Cum *properent*, alii ec. (*fabricari*).

Idem (7).

Quid faciat? quâ vi juvenem, quibus audeat armis

(1) *Prov. Cons. 14.*
(2) *Martial. de Spectacul. 25.*
(3) *Ovid. II. Amor. XVI, 31.*
(4) *Pro Milon. 19.*
(5) *XII. Fam. 25. circa med.*
(6) *Virg. IV. Georg. 170.*
(7) *IX. Æneid. 399.*

Eripere? an sese medius moriturus in hostes
Inferet, et pulcram *properet* per vulnera mortem?

(obire, adire, oppetere)

Horat. (1).

Quum perjura patris fides
Consortem socium fallat et hospitem,
Indignoque pecuniam
Haeredi *properet*. (*comparare*).

Id. in Regulo (2)

Donec labantes consilio Patres
Firmaret auctor numquam alias dato,
Interque moerentes amicos
Egregius *properaret* exul. (*redire Carthaginem*).

Et alibi (3)

Fervidus tecum Puer et solutis
Gratiae zonis, *properentque* Nymphae,
Et parum comis sine te Juventas
Mercuriusque. (*adesse*).

(1) *III. Od. XXI. 59. At in edit. Paris.* PROPERARE PECUNIAM eleganter dicuntur Qui diurnâ nocturnâque operâ faciunt tentantque omnia, quibus pecuniam coacervent. Hinc avarus Juvenali XIV. 117 PROPERANS dicitur — *Sed hoc, meo quidem judicio, non recte: supple* comparare *aut quid simile et rem facile expedies. Sic Cic. I. Divin. 49 sub fin. Ut ostenderet, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse h. e. far roba, accumulare — V. interpp.*

(2) *III. Od. V. 45.*

(3) *I. Od. XXX. 5.*

Idem (1)

> ... et narrat Vultejum nomine Menam
> Praeconem tenui censu, sine crimine notum,
> Et *properare* loco et cessare etc. (*omnia suo tempore agere*).

Sic (2)

> Has inter epulas ut juvat pastas oves
> Videre *properantes* domum. (*redire*).

Cum igitur ex his quae modo attigimus, *properare* et grammatice et λογικῶς ad istum Horatii locum ex omni parte quadrare videatur, frequentissimique sit usûs, *reparare* autem vix quater aut quinquies alio sensu apud illum inveniatur, ita eos versus facili librariorum lapsu corruptos restitui posse conjicimus:

> . . . . quae generosius
> Perire quaerens, nec muliebriter
> Expavit ensem, nec latentes
> Classe citâ properavit oras.

Nos autem (3) si quis praepositione opus esse contendat, ut

(1) *I. Epist. VII. 55.*

(2) *Epod. II. 61.*

(3) *Hoc ipso verbo, ut Ciceronis, Virgilii, Ovidii et ceterorum scriptorum innumera exempla taceamus, sexcenties Horatius usus est, ut*

I. Od. VIII. 2	*Reparare autem*
IV. Od. XII. 21	*I. Od. VII. 15*
Epod. XII. 8	*III. Od. III. 60*
Epod. XII. 22	*IV. Od. XXXI. 12*
I. Ep. III. 28	*II. Satyr. III. 2.*
II. Ep. 1. 58	
I. Satyr. V. 74	
I. Satyr. IX. 40	
II. Od. VII 24 deproperare	